



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. VI. Cynocephalus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

tur, uti Psalm. 22. *Circum dederunt me Canes multi*, quippe qui secundum legem immundi censerentur, atque admodum etiam impudentes essent, conspuendo sacrosanciam Domini faciem, caput ejus arundine percutiendo, coronam spineam affigendo, & omni opprobrii genere cœli Regem deludendo, uti ejus ministerii mortales penes omnes. Eoq; Theologi trahunt Domini dictum in Evangelio: *Non decere sumptum de filiorum manibus panem dare Canibus*. Quæ quidem notæ si à Canino genere elui possent, nihil ferè inter animalia rationis expertia Cane venerabilius haberetur, ut qui non civitates modo sibi honori positas habuerint: quod ab Alexandro Magno factum esse, amissa Cane Perthæ nomine, Theopompus ait, verum etiam longe majora præconia monumentaq; secundum Ægyptios ritus omnino meruisse videantur.

## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER VI.

DE IIS QUÆ PER CYNOCEPHALUM,  
SIMIAM, ET ID GENUS RELIQUA  
SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD CÆLIUM CALCAGNINUM.

**U**CUNDISSIMUM illud hospitium, quod mihi apud te per duas continuas hebdomadas Ferrarie fuit, effecit, ut ea omnia incommoda, quæ perpeffus eram jaculansq; omnes, quæ in tanta rerum conversione feceram, inciperem oblivisci. Nam cum tu me Romana clade perterrefactum, neque non Florentina urbis, atque aded totius Italiae turbationes & motu fugientem, otii tandem cupidum in patriam meae recipere festinantem, jungere iter jussisses, & apud te dies aliquot commorari, invitatis quotidie viris licentibus præstantibus, magnam morori meo consolationem adhibuisti, suavissimisq; illorum sermonibus agritudinis totius acerbis delinivisti: præcipue verò eruditissimo Manardo illo tuo sapienter vocato. Ea demum fuit utriusq; humanitas, ut nunquam apud quempiam alias hilarius acceptum me meminerm: ita uterq; vestris me lucubrationibus certatim oblectare contendebat: tu, dum remotissima quæq; profundissime eruditionis arcana, apud auctores veteres deliuescentia, è tenebris eruebas; ille dum Medicinæ Philosophiæ quæ loca pleriq; abstrusosq; sensus, & longa annorum serie ad hunc usq; diem ignota, multis agritudinibus remedia luci dare adnitchatur. Hinc factum, ut ego à vobis tali refectus cibo, cum primum ad Ægyptiacam meam Commentaria datus es reditus, vestra memor liberalitatis, qui me nullo laborum vestrorum fructu fraudare voluisti, statim cogitarim amicitiam tam honesta de causa olim vobiscum initam, aliquo testimonio comprobare. Atque ita Cynocephali Ægyptiaci Commentarium (id enim ob varietatem ipsam præcipue placuit) nomini tuo nuncupari. Argumentum quidem, nisi me studiorum meorum ratio fallit, fore non indignum, quod tu tante viri eruditionis evolvas, quo in legendo, tamen si nihil tibi lectionum omnium belluoni novum occurrerit, saltem, ut mea erga te benevolentia signum sit atque monumentum, opto.

### CAP. I.

**N**Am Cynocephali, quem Latine *Canicipitem* interpretabimur, hieroglyphica, tum multa sunt, tum eo nullum apud Ægyptios sanctius animal, neque sacratius fuit. Eadem pene forma est, qua

**A** qua caudata Simia, & propter eam similitudinem ipse quoque *Cercopithecus* appellatur. Sed enim nos Cynocephalus si corporatura major, validior, efferatiorque; est faciei caninae similior, unde & nomen apud Graecos accepit: quamvis multa in hoc genere sunt quae humanae potius faciem, quam caninam referunt, facileque apud nos mira mansuecunt cicuratione. Cynocephalorum, de quibus hic agimus, lacte & Numida & Menisimi vivunt, armentis ex eo genere comparatis, maribus praeter sobolis causam interemptis: quod ideo dictum volui, ne quis Cynocephali hunc, de quo dicturi sumus, accipiat, ut multi perperam, pro genere illo hominum, quod & Megasthenes, & plerique alii prodidere, capitibus esse caninis, pro voce latratum edere, ferarum pellibus velari, anguibus venatu & aucupio vesci. Nam, ut optime nostri, agrestes homines huiusmodi Pausanias ab Euphemo quodam ex Caria oriundo, visos tradit in insulis Oceani, quo tempestate delatus fuerit, quum in Italiam navigaret.

LUNA. CAP. II.

**B** Cum primis autem Cynocephalus Lunae erat hieroglyphicum: propterea quod animal id pari quodam afficitur consensu eum Lunae coitu. Nam ipsa eadem hora qua Luna, nullo illuminata candore Soli conjuncta transit, nobisque videtur penitus evanuisse: Cynocephalus mas ipse quoque visu deficere comperitur, neque interim cibum capit, sed humi procumbens aegre habet, quasi Lunae raptum ingemiscat. Foemina vero praeter id quod ea quoque luminibus capitur, & cum mari pari afficitur aegritudine, sanguinem insuper egerit est natura. Quapropter aiebantur in templis Cynocephali, ob id potissimum, ut Solis & Lunae coitus exploratissime deprehenderetur. Hinc Cornelius tradit Simias tristes Luna cava: nam affectus idem omnino in id genus omne diffunditur, quamquam in Cynocephalis & major & exploratior est.



Visu deficiente in Cynocephalo.

LUNAE ORTUS. CAP. III.

ADORATIO.

**A** Pud eosdem Aegyptios sacerdotes Cynocephalus stans Lunae ortum significabat, atque ad eam speciem addebant, ut manus in caelum sublatas haberet, & diademata Regium capite gestaret; propterea quod, ut dicebamus, Cynocephalus valde sollicitus est super ortu Lunae, qua cava angore afficiatur, prorsusque caecutiatur. Simul ac ea caeperit illucescere, & ipse visus particeps fieri, quasi Deo agat eo gestu gratias & sacerdotii ornatu quodam instructus indeptam, utrique lucem gratuletur, eo quo diximus hieroglyphico figuratur. Ideo vero stantem pingi voluere, quod stare conveniat adoranti, quem morem fuisse etiam apud Romanos indicat Val. Martialis in Epigram.



Cynocephalus erectus, adorationis hieroglyphicum.

**D** Multis dum precibus Jovem salutat,  
Stans summos resupinus usq; in ungues Aethon.  
Porro adoranda novae Lunae morem, & manus in prece sustollendi, Horatius attigit Ode illa:  
Caelo supinas si tuleris manus,  
Si thure placarū, & horns  
Nascente Luna rustica Phidile,  
Frūge Lares, avidaque porca.  
Quinetiam Virgil statum & sublatis in caelum manus esse adorationis indicium ostendit: ubi Anchisen inducit observato augurali portento illo, quo flamma caput Aescanii corripuerat, mollesque comas tactu innoxia lambere visa fuerat: is namque,  
Oculos ad sidera letus  
Extulit, & caelo palmas cum voce tetendit.

Caron. lib. 7. Od. 12.

Aenid. lib. 3.

Et cum mox in attestationem intonuisset, & de lapsa caelo stella per umbras facem ducens multa cum luce currisset, signaretque vias, tum longo limite sulcus lucem daret, & late circum loca.

Ibidem.

*Sulphure fumarens, genitor se tollit in auras,  
Affaturque Deos, & sanctum sidus adorat.*

Status porro Philoni inconvertibilis mentis indicium est, ac sese Deo applicantis, qui nulla praeditus vacillitate stabilis firmusque permanens, ut cuncta moveantur author est. Videre est in argenteo quodam numo, quem bene literatus adolescens Profer Publicola Sanrucius mihi Roma videndum dedit, huius argumenti simulacrum cum inscriptione, VOT. PVB. quae suscepta sunt in gratiam IMP. CAES. TRAJANI HADRIANI AUG. Proditum autem est, stantes Jovi sacrificasse, vota quae & preces allegasse, sed cum Opi rem sacram faciebant, illique supplicabant, vota concipiebant, sedentes id facere solitos: eo scilicet signo eam esse terram matrem indicantes. Sed enim Pythagoras proprio dogmate adoraturos federe jubet, quamvis Plutarch. usurpatum à Numa dici, hinc ut colligamus, vota rata firmaque esse debere. Quod vero ad statum pertinet, magister noster Paulus Apostolus toties standum admonet, dum dicit: *Stare ergo, neque velitis iterum summittere vos iugo servitutis, & illi semper inhaerere.* Atque alibi: *Stare conversi ad Dominum.* Et alibi: *Quoniam uno vivimus, si statis ad Dominum conversi.* Et in Gedeonis militia exauthorantur illi, qui ad aquam ducti flexere genua & in terram procidere: qui vero stantes accepta in manum aqua eam lambere observati sunt, ad pugnam delecti rem fortiter gesserunt. Quinetiam in Nicano Concilio statutum legas, ut die Dominica, & diebus Pentecostes, stantes ad orationem Domino vota reddamus: alia vero ratione ab ipso Resurrectionis Dominicae die usque ad certos dies, de quibus dicere nostri non est institutum: nam toto anno plures essent colligendi, idque importunum videretur. De sustollendis vero manibus loco suo, in Manuum Commentario, plura.

*Adoranti  
cur stare  
convenit.*

*Galat. 5. 1.  
Phil. 4. 1.  
2. Tb. 3. 1.*

#### ÆQUINOCTIA. CAP. IV.

Æquinoctium utrumque Aegyptii sacerdotes *ισογλυφικως* scribere si vellent, Cynocephalum sedentem effingebant, causam eam secuti, quod animal id utriusque æquinoctii tempore duodecies, per horas quippe diei singulas, ac duabus itidem noctibus ejusmodi, potus excrementa profundit: unde absurde factum, ut sedentem Cynocephalum in fontium apicibus statuunt, quasi jugum & perennem aquam ex eo sibi conciliari arbitrentur. Ad hæc, in ipsis temporum carnibus Cynocephalus duodecies, horis quippe singulis quanto potest argutiore ululatu vorciferatur. Etenim horarum observandarum ratio Clepsydris prius excogitata est, quarum præcipuus usus in urbe Achantia trans Nilum fuit: ubi inter alia vas admodum ingens erat, in quod singulis diebus sacerdotes singuli numero trecenti & sexaginta, ad anni scilicet rationem, qui apud eos habebatur, subditis intercalariis quinque, de quibus in Vulture satis dictum est, aquam ex Nilo deferebant, quæ suo emissæ cavo per ejus generis horologium horas indicaret: inventum est postea tum vocis, tum sonori tympani significatione, more Cynocephali, eas discernere. Mos autem, uti dictum est nuper, erat apud Aegyptios, ut in horologiis aqueis Cynocephalus adsculperent, ex pene cujus sustulisset aqua deflillaret, ea adhibita diligentia, ut quantum satis esset immitteretur, neve cavum nimis arctum, neque nimis patens esset, hoc nimis celerem effusionem, illo stragulationem sapius efficiente. Ex iis vero, quæ supra posita sunt, datur intelligi, quodnam sit animantium id genus, quod nullo expresso nomine Victorinus Rhetor memorat eo loco, ubi M. Tullius in Rhetoricis temporis finitionem quarit. Ait enim is, Trismegistum, quum in Aegypto esset, sacrum quoddam animal Serapidi dicatum duodecies toto die urinam facere observasse, idque pari semper interposito tempore: unde ipse diem per duodecim horas dimensum esse conjecerit, exindeque hunc horarum numerum constitutum: quamquam sunt qui velint ex cæli dimensione, quæ secundum musicam rationem in duodecim partes divisa fertur, horas itidem duodecim adinventas. Astronomi enim diem & noctem, quotquot alteruter horarum nostrarum fuerit, in horas ipsi suas XII. singulos partiuntur. Aquam porro majores nostri, quantum per totum diem sufficeret, exceperunt tenuissimo cavo diffluentem, eaque in duodecim partes divisa, ex partibus horarum numerum statuerunt.

*Usus Clepsydrarum ubi primum.*

QUIES

## QUIES. CAP. V.

**Q**uantum vero pertinet ad fessum, fessus, ut Jamblichus ad Prophyrium scribit, quietis indicium esse videtur, de quo plura inter arbores disseruimus, ubi Deum in lato sedentem ab antiquis, idque ex Nafamionum instituto, pingi solitum, & qua causa declaravimus. In æquinoctiis vero illa utriusque temporis æque dimensi paritas, quietis cujusdam indicium haberi potest, cum nihil subsultet, quod alterutram partem inquietet; utraque vero firma stabilisque in æquilibrio conquiescat.

## LITERÆ. CAP. VI.

**L**iteras quoque per Cynocephali simulacrum intelligebant Aegyptii: quia quoddam eorum genus eas calle-  
**B**re existimabant, seque illis ob literarum cognitionem cognatos esse. Simulac enim Cynocephalus in templum ductus erat, eorum ritu educandus colendusque, sacerdos illi albiolum, calamum & sepiam apponebat, exploraturus an ex genere esset quod in cultum recipi deberet: quippe si quid scribendo cognationem suam approbasset, ea de causa Mercurio sacer erat, qui literarum omnium author habebatur. Ex quo jam credere possumus, Simiam olim latrunculis ludere didicisse, & Elephantum literarum Græcarum doctum in pulvere scriptitasse, Muremque, quod pro comperto Albertus ponit, in conviviis candela discumbentibus prætenta, daduchi ministerium præstitisse. Mira hæc fortasse videantur iis, qui sententiam Anaxagoræ probant, animalia omnia ab homine rationem habere duntaxat activam, passivam autem, ut ita dicam, & tanquam mentem quamque mentis interpretem dicunt, numquam habere. Sed enim & Pythagoras & Plato asserere videntur rationis participes animas esse, ut eorum animantium, quæ vulgo rationis expertia vocentur, tamen ratione non utantur, tum propter incongruam ineptamque corporum compaginem, tum vero quod discedendi facultate careant, ut in Simiis, & id genus aliis humani cujuscunque fere operis imitatricibus est cernere. Quinimo Diogenes his etiam intelligentiæ aerisque participatum impertit, quæ ut magis minusve sint humanæ figuræ similia, ita magis minusve intelligant. E converso autem, ut apud Aristotelem & Physio-



Plin. lib. 8. c. 54.

Mus in consilio.

gnomos alios habetur, ita mores in humana perpendimus natura, prout effigies, ipsaque corporis species ad brutorum aliquod refertur: utpote A sinina labia crassa quippe prominentiaque, tarditatem & stuporem ingenii, Caninas maxillas iracundiam simul & fidelitatem, hispidam angustamque frontem, quippe Suillam, impuritatem morum, indocilitatemque hominis indicare: atque ita fere singulis in articulis, ingenium nostrum ad brutorum similitudinem explorari. Pari-  
**C**gitur ratione Cynocephali, Simiarumque genus omne, quorum bona pars mira quadam similitudine faciem humanam, pedes autem & manus omnino referunt humano itidem sensui & operationi, artibusque propinquiora sunt, & propemodum intelligere nobiscum pariter judicantur. Non præteribo hic, quod ad hanc pertinet similitudinem, quod Galenus in aggressionibus Anatomicis ait, se multas Simias & Cynocephalos dissecasse, si humani corporis copia non affuisset, miramque in iis similitudinem cum humano corpore deprehendisse: quare Ennius recte admodum scribit:

*Simia quam similis brutissima bestia nobis.*

Sed esto similitudo hæc ingenii causa: Quid hi super Elephante dicturi sunt, quo quid brutum magis, & ab humana figura diversius? Ei tamen beluæ esse quandam cum genere humano societatem, M. Tullius in Epistolis, ex confirmata hominum opinione, non negat.

Per brutorum aliquam, hominum mores significantur.

Epistola ad Marium.

UNDE

## UNDE BRUTORUM CULTUS APUD ÆGYPTIOS. CAP. VII.

Vedius à  
Cicerone  
cur repre-  
henfus.

Meminit  
Curtius.

Ali vero colique animalia, quæ rationis expertia dictamus, sunt qui ab Ifide tradant institutum, quæ honorem hunc conjugii, eidemque fratri Osiridi præstandum induxerit, magna agrorum, parte sacrificiis adjudicata: moremque fuisse initio, ut quæ quisque vellet animalia in hunc usum aleret, quibus vita functis, tamquam Osiris occubisset, luctum instaurabant. Cæterum postea delectum habitum, & Cynocephalo in primis honorem attributum propter excellentem quandam, ut rerum periti asserunt animalis istius naturam humano propemodum generi proximam: ut vero profani putant, quippe qui rerum historias ex vulgo mutantur, factum ajunt, propterea quod Osiris hujusmodi Satyrorum genere sit plurimum delectatus, ut nostro etiam tempore vanissimi plerique faciunt. At Romanis etiam id nequitæ genus in usu fuit. Quare nebulonem Vedium luxuriæ carpit Cicero, quod sibi obviam factus cum duobus essedis & rheda equis juncta & leccica, quodq; in essedo haberet Cynocephalum, neq; deessent etiam Onagri: quare nunquam hominem nequiorum autumat se vidisse. Quin vero & Satyros appellatos constat. Magna horum vis in subfolanis Indorum montibus, quæ Cartadulorum dicitur regio, humana propemodum effigie, tamq; quadrupes quam recte currentes, tantæ pernicitatis incursu, ut propter velocitatem non nisi senes aut ægri capiantur. Atque hinc ridiculum illud Alexandri Magni militibus obvenit, qui loco quodam per Indiam facientes iter, Cercopithecus adeo multos insignique magnitudine conspicati, qui ad exercitus similitudinem, quem inferne sub signis progredi observabant, ordines & ipsi servare videbantur, in eos velut in hostes montium juga insidentes impetum fecerent, sui que erroris admoniti à locorum peritis, non sine rubore arma inhibuerunt.

## SACERDOS. CAP. VIII.

Carnium  
abstinentia

Sed ut ad hieroglyphica redeamus, sacerdotem etiam hieroglyphice per Cynocephalum Ægyptii significabant, propterea quod ajunt animal id neque pisce, neque pane ex piscibus confecto vesci, quali Oritæ plurimum utuntur. Indorum ea gens, qui nullum alium cibum novere, quos unguibus dissectos sole torrent, atque inde panem ex his faciunt, ut Clytarchus memoriæ prodidit. Vefuti tres apud Babylonios familiæ olim fuere, quæ nullo alio cibo vivebant, quam piscibus arefactis & pistillo tuis, ac demum in offas coactis, veluti pane: cujusmodi religio in Christianæ quoque pietatis collegia quædam emanavit, quæ perpetuam carniæ abstinentiam sibi constituerunt, quod tamen apud eos honestiori de causa & longe majoribus argumentis institutum. Externi tamen sacerdotes & pisce, & hujusmodi etiam pane vescebantur, quo Ægyptii tantum abstinebant, piscemque hi demum omnem, ut Commentario suo dictum, religiose admodum abhorrebant, ea que potissimum de causa, tanto Cynocephalum cultu prosequerantur, in quo suæ religionis timorem observarent.



## CIRCUMCISIO. CAP. IX.

Circumci-  
sionis Ægy-  
ptiorum an-  
tiquus mos.

Cumque circumcisionis ritum Ægyptii suscepissent, animadvertissentque Canicipites hos circumcisos nasci, rati, non temere sed divinitus ei animantium generi id obtigisse, majorem eos habere venerationi, unam eandemque cognationem cum illis omnino profitentes. Circumcidere vero antiquissimum fuisse Ægyptiorum institutum, ab eisque ritum sumpsisse Judæos, Diodorus fabulatur, quem secuti scriptores quidam alii, proprium hoc, & vetus Ægyptiorum arbitrati sunt, quem morem Colchi, ut pote Ægyptiorum coloni, neque non Hebræi apud eos educati, postea tenuerint. Sed eorum hæc est fabula, qui Divinarum literarum historiam tam longa annorum serie apud populos nationesque omnes receptam, obscure conati sunt, cui tamen & Strabo & Corne-  
lius

**A**lius Tacitus subscribunt, qui circumcidere genitalia Judæorum institutum asseverant. Sed enim qui veterum monumenta studiosus perscrutantur, Abrahamum norunt signum populo suo de disse circumcisionem, qua sui ab Ægyptiis distinguerentur. Non igitur, diceret Irenæus, ad similitudinem Cynocephali circumcidebant Ægyptii, sed ab Hebræis ritum hunc Ægyptiorum natio magna ex parte suscepit, quæ virum illum per annos multos in Ægypto degentem, & de divinis assidue disserentem admirata est, pluribus & veteribus & novis scriptoribus id asserentibus. Sed fac nihil horum inveniri, validius id mihi argumentum est, quod ex historia desumitur, mutilandorum genitalium legem antiquis temporibus popularem apud Ægyptios non fuisse, cujus rei Pharaonis filiam testem appello locupletissimam, quæ cum in ripa profluentis fluvii Mosem comperisset, e vestigio circumcisum agnovit, & factum gentis Hebraicæ nuncupavit. Quod si circumcidendi mos Ægyptiorum itidem fuisset, quinam ex hoc signo in cognitionem eam devenire potuerit? Ex quo illud etiam suspicari licet, non omnium Ægyptiorum institutum fuisse mutilationem hujusmodi, sed sacerdotum tantum, ut à prophanis secernerentur, quod apud Hebræos semper populariter observatum est. Notum illud est, Judæos olim contra Hadrianum movisse bellum, qui, ne mutilarentur genitalia, vetare voluerit.

## CORDIS APERTA SIMPLICITAS. CAP. X.

**D**e mysterii autem ratione, varia traduntur ab authoribus pene omnibus, sed præcipue quidem nihil præter obscenorum munditiam ea re quaesitum existimant. Alii figuram eam fuisse ajunt, sed quam ne ipsi quidem Hebræi fati intellexerint. Non desunt, qui id insigne ob eam causam gentilitium putent, quo numerosa illa progenies cœlitus Abrahamo promissa, à cæteris esset gentibus discreta. Antiqui omnes Theologi, ex hoc circumcidendi cordis figuram & typum asserunt, quod ea pars, quæ circumciditur, similitudinem quandam habeat cordis: jussisse vero Deum ut ea nudaretur, quo ostenderet, aperto & simplici corde oportere nos vivere, utpote, quæ in ea corporis parte, quæ omnium fere gentium ritu pudoreque velari solet, instituta sit: quia secretioris illius circumcisionis, quæ in corde fieri debet, indicium fuit. *Circumcisi enim sumus*, inquit Apostolus, *circumcisione non manu facta*. Nam & Prophetæ idem idem clamant: *Circumcidite duritiam cordis vestri*. Declamant super hoc Lactantius, Eucherius, Irenæus, Græci Latiniq; omnes. Nam illa, inquit, *carnis mutilatio in Judæis, nisi significaret cordis circumcisionem, careret utiq; ratione: quia si Deus id vellet tantum, à principio sic hominem formasset, ut præputium non haberet*. Quæ vero super hac re multa admodum magister noster Paulus senserit, cum sint quotidie in piorum manibus, & publice recitentur, supervacaneum ea repetere judicavi: idq; fat fuerit monuisse, Originem Adamantium super hoc legendum epist. ad Romanos cap. 2. lib. 2. & alibi passim, ita tamen ne Chrysof. Basilium, & ex nostris neminem prætereamus.

## IRACUNDIA. CAP. XI.

**A**dhæc Ægyptii sacerdotes iracundiam per Cynocephalum indicabant. Est enim Cynocephalus ante omnia animalia iracundus, indignabundusque, de quo id dici potest, quo de Pane Theocritus,

*καὶ οἱ αἰὲθ' ἄρμενα χολὰ ποτὶ πρὶν καὶ θηται.* quasi dicamus,

**D**Nam omnino & Panes, & Satyros, & Sphingas, & Simias, & Cynocephalos idem propemodum genus, diversis tamen inter se distinctum speciebus, authores ponunt. Nascuntur vero Sphinges apud Trogloditas Æthiopes, forma haud ei dissimili qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis, monstro similes, sunt etiam paulo pinguiore: naturam habent in cicurationem admodum proclivem, pluribus exercitiis disciplinisque aptam. Albertus quoque inter Simiarum genera Sphingem agnoscit, insignem duabus in maxilla maculis nigricantibus, cauda coloris itidem subnigri & oblonga. Harum ego unam Veronæ cum essem, vidi, mammis illis & glabris & candidis, à pectore propendentibus: circumducebat eam circulator quidam Gallus, ex ignotis antea insulis recens advectam. Ostentabat idem cuniculos nostris quadruplo majores, mira quippe corporis obesitate disten-

K

disten-

dissentos, & quod, nisi quis viderit, credere vix queat, præditos quaternis singulos genitalibus, humanorum digitorum instar & similitudine coherentibus. Ipsa vero Sphinx toto erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus, dorso hispido supra modum, fusco & oblongo admodum pilo, eoque densissimo. Rectior lævum brachium, quo catenam, cui erat alligata, regebat, ferrea manica obarmatum habebat, dextra baculum gerebat, quem in faciem animalis identidē prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat, multamque hinc à spectatoribus stipem aucupabatur.

## ARCANA TEGENDA. CAP. XII.

*Suet. in eius vita c. 50.* Porro Sphinges in Aegyptiorum templis hieroglyphice admonent, mystica dogmata, præceptaque & institutiones sacras, per ænigmatum nodos à profana procul multitudine inviolata custodiri debere, & in arcanis tantum tractari: cuius ergo taciturnitatis effigie, hujus tabellas & literas signare diu delectatus est Octavianus Augustus, quam postea repudiavit usus inde, felicitis ominis causa, Alexandri imagine.

## INGENII ACUMEN. CAP. XIII.

Ea vero hæc Palladiæ cupidini subiecta, ut in ea Minervæ statua, quam Athenis olim fuisse erectam ait Plinius ostendit nihil tam abditum & reconditum esse, quod ingenii acumine exeri & palam proferri non possit: ita quidem Sphinges. At qui Cynocephali vocantur, corpore sunt deformi, ferum omnino, uti diximus initio, atque indomitum animal, quod nulla ratione modoque; sævit, supercilio aspectuque sunt horrido & truci, ut genuinam, qua de supra dicebamus, bilem ex facie pollis agnoscere,

## DIVINA IN OCCULTO. CAP. XIV.

*Sileni quid* Ad dentur & Sileni Cynocephalo: sunt enim & hi, ut Pausanias attestatur, ex Satyrorum grege, quos cum ætatis jam provectioris esse cœperint, Silenos appellare consueverunt, quorum hieroglyphicum erat, divinitatem in re quæpiam delitescere. Erant enim Sileni, ut ex Platonicis Alcibiadis dicto colligimus, imagunculæ quædam scitiles, ita concinnatæ, ut deduci & explicari possent, quæ ubi clausæ erant, nihil aliud quam ridiculam & monstruosam quandam tûbicinis speciem ostentabant: ubi vero aperiebantur, venerabile nomen aliquod exerebant. Hinc Alcibiades Symposio, Socratem Silenis similem esse dicit, quod is longe alius esset, interius intuenti, quam summo habitu videretur. Unde etiam *Σιλωσι δὲ λυσιδδδδδ* dici solet, de re quæ prima fronte vilis ridicula videatur, interius tamen ac propius contemplanti sit admirabilis.



## URINATOR. CAP. XV.

Sedenim, ne reliqua Cynocephali significata prætereamus, per simulacrum ejus urinatorem etiam Dintelligebant, quando quidem animalia reliqua inter natandum abhorrescere, rugisque strigosa fieri perhibentur: unus Cynocephalus, ut apud Horum est, in quemcunq; locum tranare perrexit, nullo vel squaloris vel horroris indicio fertur enatare, cuius quidem nationis facilitas una cum literarum peritia, quæ potissimum in Cynocephalo discernuntur, eam animali conciliant laudem, quæ doctis & experientibus viris tribuebatur, ut scilicet & literas & natate didicissent: contra vero in ignavos & nullo negotio idoneos, nulliusque disciplinæ aut exercitii participes, Atheniensis dicere solebant, *μητι εννηπη ζεαμματα*. neque quidem natate, neque literas, cuius proverbii mentionem facit in legibus Plato, atque etiam Aristides in Apologia quadam. Quod vero hæc liberalia essent studia, apud Tranquillum legimus, Octavianum Augustum nepotes suos & literas & natate, aliaque rudimenta



**A**ta per se plerumque docuisse. Jam & de Caligula ad ejus ignominiam dictum, quod admodum docilis ad cetera, natare nescierit. Porro urinator non est simpliciter positum, sed eum significat qui profunda quæque peruestiget, unde locus apud scriptores perdifficiles, Delio natatore dicimus: egræ enim Delii natandi peritia celebrantur.

## ORBIS TERRARUM. CAP. XVI.

**P**er idem animal orbem terrarum *ἰεργλυφικῶς*, Ægyptii significabant. Nam cum duas & sexa-<sup>Mundi di-</sup>ginta primarias terræ habitabilis regiones ponerent, quas & Hal Amberagel in tractatu ultimo <sup>viso.</sup> Astrologiæ memorat, observant magna in id genus animalium cura adhibita, partes totidem in Cynocephalo moriente, quæ quotidie singulæ perirent, mox & secundo & sexagesimo die quod reliquum esset corporis interiret. Erat vero apud eos sacerdotes summa religio, ut quicumque singulis diebus intermortuus esset, articulus præsecaretur, riteque unguentis more suo obunctus sepeliiretur. Quod vero mos fuerit Ægyptiorum unguento plurimo, cadavera inungendi, duravit etiam apud <sup>Ægyptiorum</sup> Christianos diutissime mos hic, quod ex Tertulliano conjectari possumus, ita dicente: *Si Arabia quæ-<sup>mosi ungen-</sup>di cadavere-<sup>ra.</sup>*

**B**runtur, sciant Sabai pluris carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis. Sed ut ad orbis partitionem revertamur: Deus excelsus, diceret Clemens, penes quem rerum omnium potestas est, in septuaginta & duas partes divisit totius terræ nationes, eisque principes Angelos præfecit, mox Christus Apostolos totidem, antequam pateretur, per omnem terrarum orbem dimisit, qui Evangelium prædicarent. Astrologi, suam quandam secuti commoditatem, sexagenis tantum partibus orbem divisere, de quibus ita Proclus in Sphæra: *Sed nec intervalla circularum in toto orbe à se invicem stata sunt: verum pro sphaerarum descriptione ad hunc modum dispensari solent. Divisio in LX. partes meridiano quovis circulo, Septentrionalis circulus à polo sexagesimarum partium quibus, intervalla notatur, Equator ab utroque tropico sexagesimis quaternis distat.* Reliqua ex Jacobo Zieglero hujus doctrinæ peritissimo cognoscere poteris, cujus tu eruditionem admiratus, cum principem is neminem virum in Italia, atque adeo in ipsa urbe Roma reperisset, à quo susciperetur, tu ipse mi Cæli; hominem & probum, & literatum, uti Anacharsin Solon, complexus in contubernium tuum admisisi, & ut doctrinam suam posteritati communicare posset, per ea, quæ illi præstas commoda, effecisti.

## DE SIMIA. CAP. XVII.

## HÆRES INVISUS.

**J**am vero quædam super Simia conquiramus, quæ super id traditur, quod iidem sacerdotes, ubi hæreditatem in invisos collatam significare voluissent, hieroglyphicum Simiæ quæ parvulam pone Simiolam duceret, facere consueverunt; cujus argumenti causam eam apud Horum legas, quod duas ipsa simiolas uno partu perfert. Sed enim earum alteram magis diligit, alteram ita negligit, ut eam etiam odio profectui videatur. Quam vero curandam suscipit, morose adeo complectitur, & ante se comprehensam gestat, ostentat omnibus, tractarique gaudet, gratulationem intelligens, ut magna ex parte scetum ipsa suum, cui tanto affectu favere videbatur, attrahendo enocet: mox alterum quem negligere cœperat, educare cogatur, in eum omni mox conversa cura.



## HOMO NIHILI AC NEQUAM. CAP. XVIII.

**V**ulgatissimum vero illud est, & omnium scriptorum atatumque testimonio receptum, Simi-<sup>Idem Philo-</sup>am pro despiciatissimo & maxime nequam homine haberi, ut pro Ctesiphonte Demosthenes, <sup>stus in</sup> Æschinem tragicam esse Simiam dicit, quod personatus quodammodo verborum gravitate vi-<sup>Aristide.</sup>deretur, cum alioqui pessimus atque nequissimus civis esset. Et Dion historicus de obtreçatoribus, *Quos ego, ait, non plura facio, quam ut dici solet, Simias.* Apud Cicer. in Epistolis, Simiam invenias

pro nihili homine positum. Quodq; historiis Græcis memoriæ mandatum est, Simiæ, quam Rex Molossorum in deliciis habebat, improbitas minime prætereunda. Illa enim, cum Spartiata oraculum ab Jove Dodonæo petivissent de victoria sciscitantes, legatiq; vas illud in quo inerant sortes colloca-  
vissent, urnam evertit, sortesq; dissipavit. Negant vero Historici, ut Cicero de Divinatione refert Lacedæmonis ullum unquam ostentum hoc trifolium accidisse: nam quæ proposita erat oraculo sacerdos, dixisse fertur: *De salute Lacedæmonis esse, non de victoria cogitandum.* Neque vero Plautus inepte Simiam bestiam, nunc nihili vocat, nunc nequissimam, in Milite, ac Pseudolo & in Rudente, pro lenone in somnorum conjectatione ponit, quando lenonibus nihil est scelestius neque perditius, ingrato dubio procul & invisio mortalibus genere, quodq; est, ut ipse dicit, *Deorum odium atq; hominum:*

## VITIORUM DISSIMULATOR. CAP. XIX.

**A**D hæc, hominem sua dissimulantem vitia, turpitudinemque domesticam occultantem, notare si vellent Ægyptii, Simiam micurientem faciebant: ipsa enim est ea verecundia prædita, ut quotiescunque lotium fecerit, excrementum illud (quod etiam in fæce reliqua feles faciunt) effosa obruat terra, aut alia quapiam re superingesta omnino occultet. Sed quoniam impressi codices in damno sunt, quantum ad Simiæ nomen, quæ sit callior lectio, in Fele, hoc est, in Æluro disputatur.

## IMPUDENTIA. CAP. XX.

**M**ihi quidem longe significantius per Simiam impudentia videtur ostendi posse, quam huiusmodi verecundia. Ea siquidem partibus iis, quas verecundia occultari jubet, assidue sessione depilatis, natibusq; ita tupiter denudatis, improbum exhibet spectaculum, & ejus generis mares, præcipueque Cercopitheci, natura procaciter excitata, frequenti quantumlibet spectatorum theatro, fatis cum impudentia pudendi tractatione lasciviunt, eorum instar fatuorum quos nunc Ægyptii, ut omnibus ad Nilum locis palam est, Maurique & Turcæ omnes simul ac talia perpetrare conspexerint, magnopere venerantur, summaq; innocentia & simplicitate præditos arbitrantur remq; putant admodum piam se facere, si cumulatim in hos stipem contulerint. Sed utcumq; illa, Pitheculæ insula, quod ad hanc facit morum pravitatem, notæ sunt in Tyrrheno mari, quibus nomen inditum à Simiis, in quas Candulus & Antlantus, ut apud Harpocratonem ex Æschylî Sardiani jambis legitur, fratres, omnium ea ætate profligatissimi impostores à Jove transformati sunt, cum adversus eum quoque fallaciæ machinas admonuissent. De quibus ita Ovid. in Fabulis:



*Metamor.  
lib. 14.*

*In arimem, Prochytamque legit, viridique locatas  
Colle Pitheculas habitantum nomine dictas:  
Quippe Deum genitor fraudem & perjuriam quondam  
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosa,  
In deformem viros animal mutavit, ut iidem  
Dissimiles homini possent similesque videri.*

*Thersites  
in sol. nota  
notatur.*

Sane quidem petulantiam quis hoc scriptionis genere significaturus, nullo commodius animali utetur, quam simia: cujus improbitate considerata, Plato in Civitate sua Thersitem ait, illum omnium qui ad Ilium venere turpissimum, tantæque impudentiæ monstrum, ut Achillem Agamemnoni exprobrare nihil veritus fuerit, seque heroibus ingerere temerarius asueverit, in Simiam commutatam esse imitariq; adhuc hominum facta, non re, sed specie ipsa mutata: quod etiam Q. Calaber Paralipomenis tangit. Nam si cum inter homines ageret, tam perditæ fuit insolentiæ, ut ne Regibus quidem Imperatoribusq; ipsis quicquam parceret minime mirum, si, postquam in bruta transivit, eundem animi tenorem servat, importunitatemq; omnem adversus Leonem ipsam, ferarum omnium regem

A regem, excercet. Sane Lycophron Terfitem ipsum *πηνελόπεια* appellat, & vulgo genus hominum hujusmodi simiis solemus æquiparare. Ac in eam improbitatem ita nos aliquando lusimus sermone ad Leonem X. P. M.

*Denique sic petulans generoso infensa Leoni  
Simia, quæ natibus, caudag, & clunibus hujus,  
Tantum animi est parvis, affixa procacibus ausis,  
Hoc tam magnum animal vexatque agitque, nec ullam  
Esse morum patitur, Musca importunior: apta  
Illa feros vitare unguis & dentis acumen,  
Lubrica dum fidit saltu, levibusq; lacertis,  
Deq; suo quarit sibi tot ludibria Rege.*

## FEBRIS MEDELA. CAP. XXI.

B Reliquum hic erat, ut ex eorumdem sacerdotum dictatis remedium febris ex Leone Simiam vescente significari subiceremus, sed super hoc satis in Leone.

## SUI ADMIRATOR. CAP. XXII.

Quo sit in prolem suam affectu Simia, paulo ante diximus. Hinc autem aliud oritur hieroglyphicum. Fuerunt enim qui Suffenos Catullianos per fœtam Simiam aptè significari posse contenderent, qui scilicet sine rivali dicta factave sua unice amant & venerantur. Generosum Pindari dictum, qui genus hoc hominum philautia, hoc est, cæco amore sui perditum irridens, adultores non aliter viros probos & amicos videri ait insipientibus, quam Simiæ pulchræ pueris indicantur. Ait enim in Pythiis, *καλοῖσι πῖθωνος ἔγγυ πιασῖ*, *Bella quidem Simiola est pueris*. Nam & Horatius adulatorum in obsequium plus æquo pronum, ita ad divitis nutum mutari scribit, *Ut credas mimum partes agitare secundus*. Simia verò mimum exscribit, quòd una omnium maxime atq; efficacissimè quæcumque fieri viderit imitatur. De philautia Synesius, vir literatissimus, cum epistolas accuratius à scriptis aliquando colligeret, vereri se dixit, ne quod Simiis accidit, eveniat sibi: illæ enim, ait, cum natos animalium omnium turpissimos periant, putant ipsæ tamen eos esse omnium formosissimos. Atque utinam, mi Cæli, non itidem & ego fallar, qui tantum vigiliarum hieroglyphicis his indagandis impenderim, tantum laborum conscribendis exhauserim, ut quod nunc humanum est ingenium, posteaquam me studiosorum animos oblectare existimavero, ludibrio sim. Quid enim, inquit, ad nos literatum Ægyptiarum fabula, cum nunquam satis temporis per ætatem etiam longissimam super sit, ut vel Latina vel Græca discere quis possit? quanto fatius fuerat quatuor hos & viginti annos, qui contexendis sex circiter & quiquaginta hujus argumenti commentariis perire, vel eloquentiæ, vel traducendis authoribus Græcorum optimis impendisse: aut, si frigidus obstaret, circum præcordia sanguis, mihi potius latenter instituisse vivere, ne per continuam genii defraudationem corpus affligerem, unde diurnas gravissimasq; tot ægritudines contraherem, neq; tamen hinc ullam apud potentiorum quemquam gratiam mihi compararem? Vera hæc, non inficior, dicturi sunt. Sed quid agerem? Suus cuiq; attributus est error. Si quid tamen fuerit quod vel tibi, vel tribus amicis aliis non usquequaque displicuerit, satis me consecutum arbitratus: habeant sibi sua regna Reges, respondebo, meamque judicio trium circiter amicorum industriam approbari usq; adeo æstimabo, ut pro laboribus tantis ingentem mihi mercedem cumulativè perlolutam, ratio:

bus meis sim nulla contatione relaturus. Vale, meque Manardo, more tamen illo tuo, plurimum commenda.

*Generosum  
Pindari di-  
ctum.*

*Pierius  
annos in hi.  
Hieroglyph.  
contexen-  
da impen-  
dit.*